



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

VIII. ... LI. Sax. cap. 11.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

40. solidos soluto. Atque solutio hæc tota, pecude præstanda est: homo tamen propterea ne venditor.

VIII.

Qui mamillas vxoris viri cuiuscumque pagani manu tractarit petulanti, feminae solidos sex numerato. Eam si is humi prostrarit, nec tamen cum illa rem habuerit, 10. solidos pendito. Sin cum ea coierit, 60. solidorum poena esto. Et si quis alius eam prius adulteratus est, 30. tamen solidis noxiam sarcito. Is porro si propterea in ius vocetur, aut pro ratione 60. hydarum criminationem diluito, aut multa partem dimidiam pendito. Illud ipsum si mulieri illustriori familia oriunda contigerit, multa (prout eius fuerit capitis aestimatio) augetor.

IX.

Qui præsentem archiepiscopo dimicarit, ferrumve destrinxerit, 150. solidis multator: sin præsentem episcopo aut senatore pugnatum fuerit, 100. solidis culpa pensator.

X.

Qui monialis vestem, aut illius vbera inuitæ manu tractarit petulanti, quod ei qui feminam plebeiam contrectarit imperauimus, id duplum præstato.

XI.

Si quis monacho citra bonam cœnobiarchæ veniam pecuniam concrediderit, eaque funditus perierit, illius damno sit qui commisit.

XII.

Sacerdos si quempiam interfecerit, eorum omnium quæ ope domicilii fretus acquisierit, confiscatio sequitor; eumque gradu spoliatum episcopus e fano pellito, ni dominus data capitis aestimatione veniam illi exorarit.

XIII.

Qui per vim pagani hominis ancillam stuprarit, pagano solidos sexos numerato, & 60. præterea solidis multator. Seruus si seruulam stuprarit, virga virilis ei præcidiator. Qui teneræ ætatis virginem stuprarit, eadem lege tenetor qua is qui adultam compresserit.

XIV.

Si quis Deo sese religione obstrinxerit, eumque alius criminetur, eorum aliquid quæ nuncuparat non perfoluit.